

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit**

**Fecht, Johann**

**Durlaci, 1680**

XXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

XXVII. Immortale nomen, D. Jo. Gerhardus, in Loc. Theol. Tom. ult. de Inferno, §. 76. quærit: *An damnatorum actiones omnes sint male?* & respondet: *Passiones damnatorum moraliter bona erunt, quia à justitiâ & voluntate Divinâ, omnis bonitatis regulâ, progrediuntur, quamvis physicè & naturaliter damnatis sint male, id est, adverse & inimicæ. Actiones verò damnatorum omnes erunt malæ.* Tenebras, in quas damnati conjicientur §. 44. dicit complecti, *perverſitatem voluntatis, projectam impietatem, unde peccata dicantur opera tenebrarum.* Eph. V. 11. In Harmoniâ Evangelicâ c. CLXII. p. 808. iterum damnatorum ita exponit: *ſtebunt damnati, non ex ſalutari penitentiâ, ſed ex horribili impatienciâ, per ſtridorem dentium denotatâ.* Cyprianus ad Demetrium: *Erit tunc ſine fructu penitentiæ dolor pænæ, inanis ploratio & inefficax depreſatio.*

XXIIX. Joannes Maccovius, Loc. Comm. cap. XLI. §. IV. p. 397. hanc format theſin: *Diaboli omnes poſt & propter peccatum in peccatis & odio DEI & noſtri obſtinatam habent voluntatem, adeò, ut ſe voluntas eorum immutabiliter habeat ad malum.* De Dæmonibus loquitur, ſed à quibus facilis eſt ad damnatos conſequentia, ſicut ſuo loco oſtendetur. Giſbertus Voëtius, in Acad. Ultrajectinâ Profeſſor, Parte primâ ſelectarum Diſputationum, de Naturâ & operationibus dæmonum, Parte poſteriori, §. 24. p. 977. hæc ponit: *De gradibus pænarum obſervandum eſt, eſſe pænâ eorum uſque ad diem judicii infernalem eandem ſpecie cum eâ, quam poſt judicium perpeſſuri ſunt, gradu tamen ab eâ diſtinctam.* Conſequentia ſunt dolor, deſperatio, invidentia, odium, blaſphemia; de quibus Scholaſtici. Inter propria autem Diaboli recensuerat, parte priorè §. IIX. ratione voluntatis. 1. *Quod voluntas ſit mala & corrupta habitualiter.* 2. *Quod quando operatur, nil niſi malum operetur.* 3. *Quod non poſſit operari bonum, nec ruſum bona fieri atque adeò ſit immobiliter fixa & obdurata in malo.* 4. *Quod etiamnum creſcat ejus malitia . . . . .* 6. *Quod eadem malitia comparata cum humana extenſivè ſit maxima; extendit enim ſe ad quævis peccata.* Sane igitur iſta in Diabolo formaliter, ſuperbia, invidia, quibus addimus blaſphemiam, idololatriam, præſumptionem, que opponitur ſpei, infidelitatem, non quidem per poſitivum diſſenſum, ſed per privationem aſſenſus, ſpeciale peccatum inobedienciæ, mendacium & calumniæ, injuſtitiam, odium adverſus DEum, angelos, homines, & in ordine ad homines adverſus alias Dei creaturas.